

1521

ac efferus hostis cum valido exercitu, ingentibus, tum equestribus, tum pedestribus copiis, vehementiori, insuetoque impetu Pannonias aggressus, Albam Græcam totius regni arcem, olim eorumdem tropæis hostium decoratam oppugnet? quam si, quod maxime veremur, in suam potestatem redegerit; quid erit impedimento, quominus hoc præpotenti præsidio, veluti quodam firmissimo aggere, comminuto, non undique rapidissimi torrentis more, minaci impetu furens cuncta dejiciat, atque prosternat? Tunc vos ad Forijulii, Dalmatiæ, Epyri, aliasque provincias animum convertere necesse erit; munire oppida, urbes validioribus præsidiis firmare, immensos prope sumptus subire, de quibus dum Pannonicæ stant, dum viget Hungaricum regnum, vobis ne cogitare quidem necesse est. Quid? quod accessione bac fortior effectus hostis vires maritimas augebit, classes tremium numero majores ex Helleponi faucibus educet, ac Res publica vestra ancipièt terrestri, maritimoque imperio tutando distenta, debilior ad hostium incursus perferendos fiet? Hæc, ut afflito regno, dum fieri potest, dum tempus est, dum sinit occasio, subveniatis, summopere hortantur. Non exercitus deposcit Ludovicus, non classes, non bellicos apparatus; novit belli faces rursus in Italia arsuras, novit classibus vobis ad maritimas oras, provinciasque vestras tutandas opus esse. Auri tantum, argenteaque vim flagitat, quæ in usus rei militaris, in defendendis urbibus, in alendo exercitu erogari queat. Res nostræ eo deductæ sunt, Patres, ut si inutili cunctatione prolatando tempus teritur, in aperto periculo versemur: cogemur enim (quod vix præ lacrimis effari queo) nisi per summam ignaviam, ac dedecus ultro captivitatem subire velimus, nullius rei ratione habita, cum hoste dimicare; non eventus Albae Græcae terribit, non incertus exitus retinebit, non si ante oculos mors obversetur, consilia immutabimus; eo enim redacti sumus, iis angustiis premimur, ut vel invitîs, aut cum hoste pugnandum, fortunæque alea subeunda sit, aut ab iis pacis leges accipiendæ, qui saepius a gente Hungarica pulsi, ac turpiter victi sunt; quorum altero nil indignius, aut foedius; altero nil acerbius, aut durius esse potest. Quo igitur major adventantis periculi metus, debilior rerum Pannonicarum status, quo magis extimescenda clades imminet, quæ ad vos usque,